



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **GAGNOAËNSIS*** IN LITORIS EBURNEI FINIBUS
NOVA PROVINCIA

ECCLESIASTICA CONSTITUITUR GAGNOAËNSIS, CUIUS

METROPOLITANA ECCLESIA ERIT SEDES EIUSDEM NOMINIS Cum in Litore Eburneo catholica fides haud parva cepisset incrementa, quae pastorali Episcoporum cura consociata cum alacri opera cleri loci ac missionariorum videntur posse in futurum augeri, Congregatio pro Gentium Evangelizatione, re mature perpensa auditisque quorum interest votis, censuit nuper ut in eadem Natione novae Provinciae ecclesiasticae constituerentur. Nos vero pro summo Apostolico, quo fungimur, munere de superna totius Dominici gregis salute solliciti, talem sententiam ratam habemus ac sequentia decernimus. A metropolitana Ecclesia Abidianensi distrahimus dioeceses Gagnoaënsem, Daloaënsem, Manensem et Sancti Petri in Litore Eburneo atque ex his efficiamus Provinciam ecclesiasticam *Gagnoaënsem*, cuius Sedes princeps erit Ecclesia Gagnoaënsis, quam ad gradum et dignitatem archidioecesis metropolitanae evehimus, omnibus datis iuribus et officiis huiusmodi Sedium propriis, assignantes eidem ceteras, quas diximus, dioeceses uti suffraganeas. Insuper Venerabilem Fratrem Natalem Kokora-Tekry, hactenus Episcopum Gagnoaënsem, Archiepiscopum Metropolitam Gagnoaënsem renuntiamus, cunctis factis iuribus impositisque pariter obligationibus. Quae praescripsimus committimus perficienda Venerabili Fratri Ianuario Bolonek, Archiepiscopo titulo Madaurensi atque in Litore Eburneo Apostolico Nuntio, onere imposito mittendi sincerum exemplar actus effectae executionis ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione. Hanc denique Nostram Constitutionem nunc et in posterum ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus minime obstantibus. *Datum Romae, apud S. Petrum, die undevicesimo mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo quarto, Pontificatus Nostri septimo decimo.*

ANGELUS card. SODANO	IOSEPHUS card. TOMKO
<i>Secretarius Status</i>	<i>Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i>

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*

Franciscus Chiaurri, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LXXXVII (1995), n. 6, pp. 537-538 © Copyright 1994 - Libreria Editrice Vaticana
